



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

13 Qualis sit causalitas materiæ incorruptibilium corporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

SECTIO XIII.

Qualis causalitas materia incorruptibilium corporum.

I.
Materia coelestis suam circa compositum & formam exercet causalitatem.

Superest dicendum de causalitate materiali, quam exercet materia corporis incorruptibilis. Duae autem causalitates materiae circa substantiam supra distinximus: vnam quoad constitutionem: alteram quoad effectiorem. De priori est certum exerceri à materia coelesti circa suum compositum, & consequenter etiam circa formam eius. Nam illud compositum tale est, ut essentialiter pendet, tanquam ab intrinseco & essentiali principio, & materiali causa componente. Forma item coelestis est, ut extra suam materiam conservari non possit: pendet ergo ab illa esse tanquam à subiecto, in quo sustentatur, exercet ergo illa materia circa tale formam causalitatem suam. Ex quo etiam fit, materiam illam exercere hanc causalitatem media vnione formae coeli cum illa materia, nam illa etiam vnio pendet essentialiter à tali materia, & mediante illa forma, & totum compositum ab eadem materia, neque praeter illam est necessarius alius modus, qui sit causalitas materiae, ut ex superioribus facile probari potest, nam quoad hoc eadem est ratio corporis incorruptibilis, & corruptibilis.

II.
An in coeli effectiōe materia alio qualiter concurrat.

De altera vero causalitate quoad effectiorem potest esse difficultas, an in aliquo vero sensu dici possit, materiam coeli in suo genere materialis causae concurrere ad effectiorem coeli. Et ratio difficultatis est, quia coelum, & in vniuersum corpus incorruptibile, fit tantum per creationem: ergo effectio illius est ex nihilo, ergo nulla potest dari materialis causa illius effectiōis, repugnant enim illa duo. Et confirmatur, nam effectio coeli est (ut ita dicam) totalis effectio substantiae coeli, etiam quoad materiam, sed non potest materia esse causa materialis effectiōis sui ipsius, hoc enim repugnat in omni genere causae, excepta finali, quia in aliis, causare supponit esse, ergo non potest materia esse causa effectiōis coeli. In contrarium vero est, quia cum coelum sit, forma eius fit dependenter à materia, nam in esse pendet ab illa: ergo & in fieri, ergo effectio totius coeli pendet à materia. Probat hanc vltima consequentia: nam ab eadem materiali causa pendet effectio totius compositi, à qua pendet effectio formae: maxime quando talis est forma, ut non fiat nisi vnita materiae, sed effectio formae coeli pendet in genere causae materialis à materia: ergo & effectio totius compositi. Minor patet ex dictis, nam si forma pendet in fieri à materia: ergo effectio eius pendet à materia. Item, quia talis est illa forma, ut naturaliter fieri non possit nisi vnita subiecto. Vnde per eandem actionem fit, qua vnitur subiecto, & per eandem actionem vnitur, qua fit: sed actio vnitiva essentialiter pendet à subiecto, ad quod fit vnio: ergo. Maior autem videtur etiam clara, quia compositum non fit nisi per vnionem formae cum materia: ergo si illa actio pendet à subiecto, etiam effectio compositi pendet à subiecto. Item, non alia ratione compositum corruptibile fit per actionem dependentem à materia, nisi quia forma eius fit vel vnitur materiae per actionem dependentem ab illa: sed ostensum est idem contingere in corpore incorruptibili: suppono enim formam talis corporis non esse subsistentem, sed materialem & dependentem à materia: quae forma proprie non fit, sed comproducitur composito: & ideo eadem actione qua illa fit & vnitur, fit etiam compositum.

III. Hae difficultas non procedit de creatione coeli,

quatenus ad materiam eius terminatur, sic enim constat non esse materialem causam eius, sed terminum. Procedit de illa coeli productione, quatenus formaliter terminatur ad formam eius, & ad vnionem formae cum materia, & ad compositum, quatenus ex illa resultat, an, videlicet, illa actio quantum ad illam partem (ut sic loquar) habeat propriam materialem causam: argumenta enim posteriori loco facta videntur asserantem partem conuincere. Vnde posset quis excogitare, sicut corpus incorruptibile est compositum ex duabus partibus, ita effectiō eius esse compositam ex duabus partibus seu dependentis partialibus, quarum altera ad materiam absolute, altera vero ad formam, ut informantem materiam, atque adeo ad compositum ut sic, terminetur. Actio enim proportionata est termino cum quo identificatur: ergo sicut terminus compositus est, ita & actio seu dependentia. Illa ergo actio ratione eius partis quae ad materiam terminatur, non habet causam materialem, ut dictum est: quoad alteram vero partem videtur habere illam, idque satis probari argumentis factis. Sed in hac sententia difficile est ad explicandum, an illae sint duae actiones, vel vna: nam si sunt duae, altera erit creatio materiae; altera vero generatio, veleductio formae de potentia materiae: si vero est vna, erit veluti mixta & composita ex creatione & eductione, & non appareat: quomodo duae illae partiales actiones vniantur ad componendam vnam.

Quapropter dici aliter potest, actionem illam esse vnam & indiuisibilem, qua primo & per se producit totum corpus incorruptibile, & comproducitur partes: quae actio non potest habere causam materialem, eo quod sit omnino ex nihilo. Atque ita fit, ut materia horum corporum nullo modo concurrat materialiter ad productionem eorum. Sed in hac sententia etiam est creditu difficile, quod actio terminata ad rem compositam sit in se indiuisibilis. Nam ratio supra facta videtur probare oppositum, quia actio identificatur cum termino producto: ergo sicut terminus coalescit ex partibus, ita necesse est integram actionem productionis ipsius termini co-furgere ex partialibus actionibus productionis, seu comproductionis partium ipsius termini.

Est igitur aduertendum, dupliciter posse actionem aliquam dici indiuisibilem: vno modo, quia non est composita ex partibus, sicut est indiuisibilis creatio angeli; & hoc modo non potest dici indiuisibilis productio coeli, ut recte probat ratio facta. Alio modo dici potest actio natura sua indiuisibilis, qualiter constat ex partibus, non tamen potest nisi indiuisibiliter seu inseparabiliter fieri, neque vna pars fieri aut manere potest sine alia, nec per se sola, sed simul cum tota actione. Atque hoc modo existimo esse vnam & indiuisibilem actionem quia creatur coelum, & concreatur materia & forma eius. Quidquid enim fit de potentia absoluta, quod infra videbimus, tamen ex natura rei ita pendet creatio materiae coeli ab actuali informatione seu vnitione formae, ut non possit naturaliter esse illa effectio materiae sine consortio alterius partialis actionis, qua in illam introducit forma; neque econuerso illa inductio formae possit per se fieri per modum totalis actionis, sed solum per modum partis componentis vnae totalem actionem simul cum productione materiae. In quo differt effectio incorruptibilis corporis à productione corporis corruptibilis, nam in corpore corruptibili actio qua creatur materia, potest eadem manere, variata actione qua inducit forma, vel secundum numerum, vel etiam secundum speciem; quod oportet ut aliqua maneat vel succedat: & econtrario, actio inductiva formae potest per se fieri per modum totalis actionis, sicut fit generatio, ut infra latius declarabimus, tractando de eductione formae.

Hoc

Hoc ergo supposito, ad difficultatem propositam dicendum est, actionem illam integram & indiuisibilem absolute & simpliciter non pendere à materia in genere cause materialis, quia illi actioni ut sic nullum subiectum supponitur, nihilominus tamen faciendum est illam actionem, quantum ad eam partem, quæ est compositiua formæ, pendere à materia à subiecto, & causa materiali: hoc enim recte probat discursus supra factus. Nec vero inde fit, illam actionem quoad aliquam partem esse generationem aut propriam educationem formæ de potentia subiecti, nam hæc ratio solum conuenit illi actioni quæ se se ac separatim, & per modum totalis actionis fieri potest: illa autem partialis actio concreatio dicenda est, quia natura sua est pars vnius totalis actionis quæ est vera creatio. Nec repugnat concreationi ut sic, pendere à subiecto & materiali causa, quantum ad eam rationem seu partem, secundum quam dicitur concreatio; sicut etiam, quatenus est partialis concreatio materiæ, pendet, suo modo à forma & vniione eius. Quod nihil aliud est dicere, quam dari quandam creationem totalem, quæ constat ex partibus materiali & formali proportionatis partibus, quibus constat terminus eius, quod verissimum est. Atque ita satisfactum est omnibus rationibus dubitandi, intelligiturque melius hæc omnia dicendis infra de creatione, & de educatione formæ substantialis, ubi plura de hac difficultate dicam.

SECTIO XIV.

Virum in rebus incorporeis dari possit causa materialis substantialis, & quomodo, quantum ad hanc materiam causam componatur.

I.  pponit hæc questio, esse inter substantias creatas quasdam incorporeas, id est, carentes hac quantitate molis, quam habent corpora: quod infra nobis probandum est, tractando de substantiis separatis. Hoc ergo supposito, ad explicandam in vniuersum causalitatem materiam circa substantiam, vel assignandos ei terminos quibus clauditur, vel designandam certam proprietatem qua dignosci possit, necessaria visa est hæc questio.

Varia sententia.

II. **I**n qua nonnulli errarunt, dicentes causalitatem materiam non limitari ad res corporeas, sed in incorporeis etiam reperiri. Quæ sententia duobus modis intelligi potest. Prior est, ut intelligatur de materia eiusdem rationis cum materia rerum corruptibilium. Quo sensu tenuit eam opinionem Auicembron. in lib. Fontis vitæ, ut refert & declarat Diuus Thomas 1. part. quæst. 50. art. 2. Sed hic sensus facile reicitur ex dictis præter aliqua quæ mox subiciemus. Quia ostendimus, corpora celestia propter suam incorruptibilitatem non posse constare hæc materia; sed substantiæ incorporeæ sunt incorruptibiles, magisque abstractæ ab huiusmodi peregrinis alterationibus, quam celestia corpora: ergo.

III. **A**lio ergo sensu potest illa sententia intelligi de materia alterius rationis specificæ ab hac nostra materia, eiusdem tamen rationis generice cum materia rerum corporalium: ita ut de se illa materia, quæ de facto esse dicitur in rebus incorporeis, capax sit corporis molis, & quantitatis, si forma illam admittat. Et hoc sensu dicitur illa materia esse eiusdem rationis communis cum materia rerum corporearum, quamuis in statu differat, & actu careat mole corporea ratione formæ. Quod etiam asseruit Auicembron citato loco. Est autem etiam hic sensus improbabili-

lis, quia materiæ corporali connaturale est esse sub quantitate, & sub illa, vel per illam diuidi in partes: ergo impossibile est ut aliqua substantia natura sua constet huiusmodi materia carente mole corporea. Patet consequentia, tum quia non potest talis materia esse sine quantitate, saltem connaturali modo: non potest autem aliqua substantia naturaliter constare ex materia, & non habere illam in statu connaturali, sed prodigioso, & miraculoso: tum etiam, quia talis substantia incorporea constaret ex portione seu parte materiæ distincta, vel à tota materia substantiarum corporalium, ut argumentatur Diuus Thomas loco citato: vel etiam à materiis aliarum substantiarum incorporearum, ut ibidem Caietanus addit. Repugnat autem huic materiæ secundum communem rationem suam diuidi in partes, nisi media quantitate.

IV. **S**ed dicere potest aliquis, non esse de ratione huius materiæ in communi sumptæ habere quantitatem, neque positivè (ut ita dicam) postulare illam ut proprietatem sibi necessariam, sed solum indifferenter se habere ut illam habeat, vel non habeat iuxta exigentiam formæ. Sed hoc in primis est alienum ab omni ratione Philosophica, quia nos nunquam expecti sumus huiusmodi materiam, nisi sub quantitate: ergo non solum hæc materia est capax quantitatis natura sua, vel potest admittere illam, si forma non repugnet, sed etiam natura sua postulat esse sub quantitate, imo vix potest intelligi sine illa. Et confirmatur hoc, nam si in materia est capacitas ad quantitatem, non potest naturaliter illa carere propter formam: nam maxime id accideret, quando forma esset spiritualis: ut videmus in homine formam esse spirituale, & non propterea privari materiam sua quantitate. Sed præterea argumentor à priori in hunc modum, nam vel illa materia substantiarum incorporearum esset in sua entitate indiuisibilis, & carens partibus entitativis integrantibus ipsam: vel haberet partes entitativas sese tamè penetrantes propter carentiam quantitatis. Si primum dicatur, plane sequitur talem materiam non solum non habere actu quantitatem, sed etiam esse omnino incapacem illi, quia rei indiuisibili repugnat per quantitatem extendi, ut per se notum est ex ipsis terminis: talis ergo materia non conueniet cum materia substantiarum corporalium, etiam in hoc communi genere materiæ corporeæ, seu capax quantitatis. Si vero dicatur secundum, repugnat (saltem naturaliter) illam materiam esse à quantitate separatam; tum quia materia corporalium non alia ratione postulat quantitatem, nisi quia diuisibilis est in partes: tum etiam quia neque est in natura indicium aliquod, aut vestigium talis materiæ, neque facile, ut dicebam, concipi potest illo modo existens, præsertim natura sua.

V. **P**osse ergo aliter excogitari (& sit tertius dicendi modus) in re incorporea compositio ex materia prorsus spirituali & indiuisibili, ita ut, sicut datur substantia composita ex materia, & forma corporeis & substantia composita ex materia corporea & forma incorporea, ita etiam dari possit substantia composita ex materia & forma incorporeis. Quid enim repugnat, quin detur huiusmodi compositio in substantia spirituali? Atque hanc sententiam probabilem reputat Alexander Alenf. 2. part. quæstion. 20. memb. 2. in fine, & quæst. 44. memb. 2. ubi distinguit triplicem materiam, scilicet elementarem, celestem & spiritalem, & Bonavent. in 2. distinct. 3. art. 1. quæst. 1. & sequent. & re vera loquitur de propria materia, ut est essentialis pars distincta realiter à forma: & idem tenet Richard. eadem distinct. art. 1. q. 2. & in eandem sententiam refertur Aureolus ibi: & idem docuit Plotin. lib. 4. Aeneadis 2. c. 5. ubi ait, profundum vniuersusque rei esse materiam, etiam in mundo intelligibili. Idem tenuit Proclus in elementario proposit. 210. Citatur pro hac sententia ex Philosophis Aristoteles 2. Metaphys. text. 12. ubi ait omne quod mouetur, habere